ORATIO FRANCISCI BOCCHII

DE LAVDIBVS PHILIPPI II. HISPANIARVM REGIS, Catholici; & Potentissimi.



FLORENTIAE;
Apud Michaelemangelum Sermartellium. B.F.
CIƆ IƆ XCVIIII.

Io ho riuista la retroscritta Orazione, & in essa non ho trouata cosa contra la fede Cattolica della Romana Chiesa, ne contra i buon costumi. Il di xiii.di Nouembre. 1598.

Pietro Stufa Canonico.

Imprimatur Florentiæ, accedente consensu R.P.Inquisitoris. Die xx.Nouembris. 1598.

Antonius Beniuenius Vic.Gen.Fl.

Fr.Dionisius Constacciarius Inquisitor Florentiæ. xx. Nouembris. 1598.

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISS. GARTIAE DE LOAISA, TOLETI ARCHIEPISCOPO

S A L.



VOD nullo vmquam tempore vsuuenit, vt orbis terrarum curam vir vnus sustineret; re ipsa, vt vidimus, hac nostra ætate factum est. Ita enim imperium Philippi, Hispaniarum Regis, tam latè patet, tam se infinitis pœnè finibus extendit; vt si rectè ratiocinamur, orbem terrarum comprehendat. Priscis quondam temporibus Reges satis latè, satisq; amplè regnare visi sunt, dum nonnullis nationibus ad suum arbitrium imperarent. Nunc verò Dei Opt. Max. numine tanta potestas ad vnum delata est, vt complexa cũctas terras, omnium salutem, & commodum respiciat. Hoc nomine minimè mirum est, omnium animos dolore conflictari; qui præsidio sanctissimi Regis spoliati, quocumque oculos conuertunt, causam lacrimarum, & luctus intuentur. Vbique enim terror armorum quieti Christianæ Reipub. minatur, bonorumq; consensus, qui malis orientibus resistat, tacitis vocibus requirit. Admirabili vigilantia per annos I I I. & X X X X. innumerabilium ferè populorum, & nationum vitam, opes, liberos, quæ omnia in suam fidem sanctissimè receperat, ita tutatus est; vt vnusquisque, cùm in se permagna bona fuerit expertus, non sine causa pertimescat, & salutis spem veris lacrimis deploret. Tuus verò amor, aut pietas potius in Regem ceterorum omnium potentissimum cùm tui animi propensione, & onere sanctissimi muneris illustris semper fuit; tum hoc tempore tuæ probitatis tam magna signa dedit,

vt nemini concedens, ad quem luctus desiderio amplissimi viri iam peruenerit, lacrimarum plurimum profuderit. Quoties enim sapientissimi Regis grauissimorum negotiorum pondus memoria repetis (contigit enim tibi, vt ea videres, quæ longo spatio disiuncti ceteri mirantur) totius pietatem, iustitiam, & sapientiam, quibus profecto cunctis præstitit Regibus, recordaris; & quò tibi admirabilis virtus magis nota est, eò te nunc magis mors iure quidem optimo sollicitat. Tu vnus à Rege sanctissimo delectus, qui eius filium ad sapientiam erudires, non solum sapientissimi patris, sed omnium iudicio, quod mandatum fuit, mirabiliter impleuisti; eosque mores, qui in Philippo patre probabantur, ita Philippum filium docuisti; vt & omine gemini nominis, geminæque virtutis, eadem bona omnium consensus se visurum in filio posthac sibi promittat, quæ antea in patre tam salutariter expertus est. iis verò exequiis (neque enim apud nos quisquam, dum memoria repeto, ampliori funeris pompa affectus est) quibus tam summum Regem Ferdinandus Magnus Etruriæ Dux celebrandum curauit, appellare te, vir amplissime, decreui, atque has meas lucubrationes tuo nomini dicare; vt eisdem, si minus contigerit, vt dolor, qui te conficit, minuatur; id saltem assequar, vt testatum apud te relinquam, non deesse in hominibus Italis propensionem, qua virtutis magnitudinem in summo Rege mirentur, & colant. Vale; Florentiæ. III. Cal. Ianuarij cIↄ Iↄ XCVIII.

Amplitudini tuæ deditiss.

Franciscus Bocchius.

ORATIO FRANCISCI BOCCHII

De Laudibus PHILIPPI II. HISPANIARVM REGIS, CATHOLICI, ET POTENTISSIMI.



CONQVIESCERE orbis terrarum, & tandem aliquando per homines summos recreari posse videbatur; cùm auxiliis salutaribus desperatis, optimis consiliis extinctis, vt spes salutis esset nobis penitus præcisa, vnius casus acerbitate, cetera, quæ iam tulimus mala, mors importuna sapientissimi viri superauit. Rege enim Philippo tam alieno tempore extincto, cuius imperium vniuersum pœnè terrarum orbem comprehendit, & salus publica afflicta est, atque omnes vires, quæ in propulsandis incommodis, & detrimentis versabantur, repente conciderunt. Quò nunc studia nostra se conuertent, quò se consilia, quò cogitationes, quibus ad hoc tempus, regnante prudentissimo viro, nostras opes tam egregiè tutati sumus? Tot ille populorum præsidium, tot regnorum columen & ruentes sustinuerat, & fouerat afflictos, &, ne teterrimi hostes regionibus nostris impunè insultarent, multos annos mira quadam vigilantia prouiderat. Viri grauissimi nunc cogitationi tanti oneris succumbunt; cunctæ Reipub. principes tam magno vulnere affligantur; &, qui tantarũ rerum pondus subire possit, & consilio & mente circumspiciunt. Vnius Dei hoc opus est, qui tot malis imminentibus succurrat, & perniciem à nobis necessario tempore depellat; ne regnum amplissimum multas in partes diuulsum, quod vnius vita inter se tam salutariter astringebat, nunc eiusdem mors ad omnium periculum relaxet. Tu igitur mitissime Deus, qui cunctorum mortalium mentes intueris, orbi terrarum morte sapientissimi Regis iam labanti tuo numine subueni; causisq; malorum depulsis, vt firmo loco regnum ceterorum omnium opulentissimum consistat, pro tua sapientia perfice; atque vt

ipſe mœrore confectus, & lacrimis debilitatus, viris honeſtiſſimis attentè audientibus aliqua ex parte ſatisfaciã, tuum præſidium imperti. Facit, vt video, rerum maximarum facultas audientiam; quæ & multitudine populorum, & opum abundantia, & regnorum in vno imperio amplitudine ceteras omnes ſuperarunt. Sed tamen, ne vim doloris detrimentis commemorandis orbis terrarum augeamus, vt noſtri muneris eſt, lacrimarum, & luctus cauſis omiſſis, rem propoſitam nobis perſequamur. Natus eſt igitur Philippus ex Carolo Quincto, atq; ex Eliſabetha, Regis Luſitaniæ filia; quorum vterque & generis nobilitate, & familiæ amplitudine, & regnis opulentiſſimis, quibus præfuerunt, orbis terrarum approbatione ſemper floruit. Carolus autem cùm ſui temporis Regibus pręſtitiſſet, veterum imperatorum gloriam bellicis laudibus æquauit. Complexus eſt igitur Philippus imperium à patre relictum, ſumma omnium expectatione, ſæuientibus vndique bellis; tantoq; animi robore per annos tres, & xxxx. ſe ſe geſſit, vt mutata tantummodo perſona eaſdem regias adminiſtrationes, & ſuis rebus ſalutares innumerabiles ferè nationes fuerint expertæ, quas antea in parente tantopere probauerant. Summis in rebus initio ætatis ingenuus animus clariſſimis moribus ſe aluit, & diuinæ legis lumine, comitante probitate, ad eas virtutes ſe exercuit, quas pręcipuè paulo poſt regnum ampliſſimum videbatur poſtulare. Adoleſcentia modeſta, fortis iuuentus, totumq; tempus traductum ſapienter miros quoſdam amores in hominum animis exuſcitat; ſed diuinis præceptis inhærere, & pietatis cauſam toto pectore ſuſcipere, humanæ profectò fragilitatis conditionem vincit; alteq; aſcendens, terrenis opibus proiectis, cœlum ipſum pœnè contingere videtur. Neque verò mirum eſt, tot hominum voluntatibus, tot populis, tot nationibus, tot terris tam inter ſe diſiunctis vnum ſalutariter imperaſſe, qui ſingulis horis Noſtri Saluatoris monita ad ſuum conſilium admiſit. Vir mirus excelſo animo ita onus omnium maximum mãdari ſibi paſſus eſt, ita negotium, quo ſalus orbis terræ continetur, hilarè comprehendit, vt ſanctitatis, ſapientiæ, atque omnium officiorum obſtringi ſe religione iudicaret. Perarduo in negotio verſatur, qui familiæ, qui magiſtratui, qui vni ciuitati tantum conſulit; qui multos mortales, qui exercitum, qui Remp. gubernat, maiori quodam onere omnino premitur; verumtamen qui innumerabiles pœnè vrbes ſuis conſiliis regit, qui rationem barbaris, qui humanitatem feris nationibus ſuppeditat, qui totum pœnè terrarum orbem cõprehendens, vt ſcimus Regi Philippo contigiſſe, ſalutem vniuerſis impertitur, ſuſtinet is pondus profectò tantummodo vnus, quod planè complures vix vllo pacto videntur poſſe ſuſtinere.

Vix

Vix dum annos quattuordecim impleuerat, cùm pater sua sponte, & summa indole, & regia admonitus rerum maximarum administrationem ei tradidit; & vt se Regem esse meminisset, magnarumq; ciuitatum Rempub. suo iudicio obiret, grauiter est,& piè adhortatus. Eo ingenio, quo ad summa negotia factus erat mirabiliter, onus omnium maximum suscepit; atque ita Hispanicæ ditionis curam initio explicauit, vt nihil in eo cogitatum leuiter homines grauissimi, nihil actum pueriliter agnoscerent. Quamobrem Caroli Quincti pietatem erga filium, & filij obseruantiam in patrem quibus verbis prosequar, qua ratione incredibilē animi magnitudinem enarrem? Mirabiliter se non præsidio ætatis tantum, sed diuinis præceptis Rex Philippus roborarat; quid ingenio, quid consilio posset, egregiè ostenderat; cùm pater deinde & vsu rerum edoctus,& regnorum multorum amplitudine satiatus, & virtute filij permotus imperium omnium maximum, atque opulentissimum eidem filio prȩter omnium expectationem tradere decreuit. Hic, viris clarissimis videntibus pater de summa modestia filij; filius de incredibili probitate patris laborabat; fidem nemini rei magnitudo faciebat; cùm satis in tempore, quod fuerat prȩdictum, nulla mora interposita, reprȩsentatum est. Crebris enim lacrimis, & vocibus nimia pietate interruptis, sententia excepta est; qua Carolus ipse se ipso maior, atque augustior suorum regnorum, quæ permulta erant, Philippum filium Regem declarauit. Hac munificentia, qua obstupefactis animis omnium Regum, totius orbis oculos in se conuertit, quid aliud actum est,nisi vt totius Hispaniæ, Italiæ, & ceterarum regionum consensus intelligeret,custodem orbi terrarum esse delectum,qui in fidem cunctas pœnè terras sanctè, & regiè reciperet, & fideliter salutem tueretur? In ætate tam lubrica, variisq; cupiditatibus infesta pertimescendum erat, ne par esset tam summis rebus, ne imperij magnitudini succumberet; hominumq; suspensis animis, ne planè responderet, non sine causa timebatur. Numquam post hominum memoriā res tam grandis,tam egregia,tam illustris acta est: animus enim filij ob pietatem patris pudore perfusus, patrisq; veneranda probitas suspensos omnium animos tenebat. Sed pater orbi terrarum fidém suam pro filio obstrinxit, &, vt benè sperarent omnes,grauiter admonuit; cùm occupationibus grauibus tractandis, mandatisq; patris exhauriendis, fortiter se,& regiè corroborans cunctis planissimè ostendit, paucitatem annorum minimè officere, quò minus summis in rebus grauiter se gereret, & summa negotia egregiè explicaret. Tanta vis in adolescente optimis artibus instituto, tanta grauitas in moribus, tanta virtus in conficiendis negotiis apparuit, vt cun-

cti & patris sapientissimi prudentiam agnoscerent, atq; in eius imperio pacato animo, & libenter conquiescerent. Mentis munditia, dum ius diceret, perspecta est; in ferendis laboribus constantia; atque asperioribus in rebus mira animi æquitas; vt sibi, si vita suppeditasset, permagna se visuros bona probi homines promitterent, qui tantum iam commodorum, vix firmata ætate, experirentur. Permagni interest, quibus moribus, quibus legibus, quibus præcipuè rationibus vtare in populis regendis, in vrbibus administrandis; sed tamen prò supreme Deus, quantum potest vnius viri optimi consilium, & prouidentia magnis in negotiis? ad omnes fortunæ minas, & tempestates, quasi murus quidam ferreus, vt in Philippo sępè accidit, regis sapientissimi auctoritas opponitur. Premant licet vndique insidiæ, vrgeant procellę; perniciem bella, & vastitatem moliantur; vis tamen hæc regia dum viget, dum consilio septa, & prudentia versat sese in omnes partes, numquam deerit illa salus, quam sibi, dum viuunt, omnes homines exoptant. Satis commodè, vt scitis, honestissimi viri, Christiana cum Rep. actum est vsque adhuc, vt summa tot regnorum ad vnius imperium respiceret potius, quàm multas in partes diuulsa, iniuriisq; Turcarum opportuna suis ipsa dissidiis, & hostium immanitate deleretur. Quàm sollicitè, quàm sapienter ratiocinantur probi homines, nostrarum rerum statum summum in periculum venturum, nisi opulentissima quædam potestas, eademq; lege cum diuina consentiens Rempub. capessat, quæ ex Oriente belluam furentem reprimat, & vim, cùm est opus, vi fortiter propulset? A Deo votis omnibus, & summis precibus expetite, vt maximum hoc imperium communis salutis causa conseruetur; vt sit incolume, sit diuturnum, sit florens; ne parùm sibi consentiens insidiis hostium, qui perpetuò ad nostram perniciem vigilãt, fœdo exitu succumbat; cùm magno furori innumerabiles copias trahenti, non, nisi firmissimũ quoddam robur opponẽdum esse videatur. Declarat id nostra hæc Italia, quæ sibi ipsi quondam consentiens exiguis viribus, si tot populorum, tot nationum, tot vrbium exterarum copias spectamus, terrarum orbem sibi parere coegit; atq; amplissimũ omnium imperium adepta, floruit tam diu virtutis suæ robore, quàm diu à dissensionibus, & procellis contentionum ciuilium abhorruit. Simul atq; hanc ipsam vim concordię neglexit, qua sibi potestatis tantum iam pepererat, ab se ipsa diuulsa, cunctorum in se odia conuertit; suumq; corpus eis potissimùm gentibus feriendum præbuit, quas vel suo tantũ nomine terrere consueuerat. Vir igitur sapientissimus quantopere vniuersæ Reipub. interesset, sæpè prospiciens, ne dilaberetur regnum, ne imperium à se ipso dissentiret, quo studio, qua diligentia,

quo

quo animi ardore in hanc rem vnam omnium grauiſſimam incubuit? qua cura, qua vigilantia prouidit, ne qua ſuſpicio diſcordiæ eorum populorum animos attingeret, quos regendos ſua cuſtodia ſuſceperat? Verumtamen tam multæ nationes, tam inter ſe diſiunctæ (quoniam perarduum erat vna, atq; eadem ratione in officio retinere) ne à ſe ipſis diſſentirent, cunctas, quibus conſultum volebat, diuino cultu, & vera pietate colligauit. Id opus tanto ſtudio, tanta animi contentione perſecutus eſt, vt non quies ab induſtria, non ſomnus ab vigiliis, non defatigatio ab labore hunc Regem prudentiſſimum vmquam remorata ſit, quò minus hoc cœleſti præſidio imperium orbis terræ roboraret. Quid ego nunc verbis huius Regis optimi, ac ſapientiſſimi vitam vobis explicem, qui ſemper à primis temporibus ætatis ita vixit, vt omnium populorum, qui ſibi commiſſi fuerant, vtilitates intuens, parùm quid ſibi eſſet opus, ſed quid cęterorum rationes flagitarent, potiſſimū attendit? Multum illi, qui legis vim ſequuntur, ſed omnia tamen poſſunt, qui pietatem ſpectant, & Dei voluntatem egregiè exquirunt; quo in negotio intentus dies, noctesq; cogitare, ſumma cura vigilare numquam deſtitit, vt ſe ſe, quæ ſuis in prouinciis gererentur, ad vnius Dei opt. Max. ſapientiam conformarent. Et profectu cedunt omnia feliciter, omnia proſperè eueniunt, quæ nullam in partem à diuinis conſiliis diſſentiunt. Intentis oculis, tamquam induſtrium paſtorem, in ſua regia vigilia dormitare numquam decet, qui ſe multos populos, multas nationes pręſtare incolumes iure iurando obligauit. Erat igitur huic animo fixum, & propoſitum, quid vellent, quid optarent innumerabiles penè mortales; non exciderat, quid ſui eſſet muneris, quid præſtare, quid efficere regia vigilia deberet; &, ne omnium fidem in ſe ſpectantium falleret, ne hominum de ſe opinionem deſtitueret, vi quadam admirabili commoueri conſueuerat; vt ſe non ſui commodi augendi, ſed ſuorum populorum ſalutis tuendæ cauſa natum eſſe, & regnare perpetuò cogitaret. Ad quid regias procurationes laboramus, ſi nobis tantum viuimus, ſi noſtri commodi cauſa omnia facimus, ſi cunctorum negligimus vtilitates, & pro nihilo putamus? Hinc illæ hominum querelę ius ſuum quotidie poſcentium; hinc peruerſę indignitates quandoq; ab inuitis graues voces eliciętium; quę quamquam grauitatem onerum ratione nulla augent, perpetuam tamen iniquitatis famam magnis regibus inurunt. Sed iam in hominibus impiis inſedit hoc vitium, inueterauit tanta immanitas in eis, qui nullum cum Deo, nullum vera cum pietate commercium habent; qui humanitatis hoſtes, & virtutis inimici à cunctis ſe bonis ſuæ vtilitatis cauſa auertunt. Summum imperium diuinis cum legibus coniunctum & ſcele-

ra à suis finibus propulsat, & sanctitatem fortiter cōplectitur. Sitienter Hispani Reges hanc virtutem sunt secuti; & quò suos populos facerent sibi magis audientes, se ipsos nequaquam ad speciem, sed intimis animi sensibus, Saluatoris Nostri voluntati sanctissimè dicarunt. Huic autem viro admirabili, quoties se Regem esse meminisset, è vestigio veniebat in mētem diuini decoris, probitatis, puerorum, infantium, virginum; proponebatur animo innumerabilium mortalium cupiditas à se salutem expectantium; obliuisci non poterat dignitatis, imperij infinitam pænè à se sollicitudinem flagitantis; sacrorum autem, & Summi Pontificis maiestas, & tota pietatis ratio vrgebat eo pacto, ac perpetuò sollicitabat, vt respirare numquā sineret; & cùm Rem pub. maximorum regnorum quotidie obiret, magnò animo, singulari sapientia, admirabili grauitate, omnium approbatione parùm sibi tamen satisfacere, humiliter, demissè se se gerere, operam suam verbis imminuere, & quicquid fœliciter, prosperè actum esset, ad Dei Opt. Max. sapientiam referre consueuerat. Indicant bella, quæ cum communibus hostibus gessit omni tempore; indicant propagati imperij fines; in quibus, abdicatis sceleribus, probitas, religio gloriosè fruticatur. Nullo tempore hic vir summus destitit & versare ingenium ad vim virtutis, infinitisq; occupationibus districtus cuncta prouidere sapienter; atrocibusq; bellorum fluctibus agitatus neque suæ dignitati, neque innumerabilium pænè gentium vtilitatibus vmquam defuit. Persuasum omnibus est, eum ipsum, cui summum contigit imperium, sublimi quodam ingenio excellere; neq; esse mirum, vt ei mortales omnes plurimum tribuant, ad quem diuina quadam vi tanta potestas est delata; cùm euenire numquam possit, vt id fiat temerè, & casu in re tam magna, quę nulli vmquam à Deo, nisi summa virtute prędictus est, communicatur. Venit ad laborem, non ad voluptatem vir summus, ad periculum, non ad quietem, ad sollicitudines continentes, non ad animi remissionem, qui hoc regium munus, ceterorum omnium laboriosissimum aggreditur. Perexigua potestas indicio sæpè est, quàm graue sit, quàm arduum multis mortalibus imperare; nullæ excubiæ, nullæ vigiliæ tam magnæ sunt, quibus tueri omnia possis; nulla prudentia tam diligens, qua futura optimè perspicias; oculus nullus, mēs nulla tam egregia, quibus, quæ impendent, defendas, & propulses. Delectat regalis apparatus, sed cura ingens, & perpetua non sinit conquiescere; exhilarat pretiosa supellex; at voluptas omnis multorum multa poscentium libidine corrumpitur; nihil summæ potestati deesse videtur, si id vnū adesset tamen, animi tranquillitas; quæ dum abest, facile perficitur, vt omnia deesse videantur. Nihil est enim cunctis in

artibus

artibus difficilius,nihil vniuersis in rebus laboriosius,quàm tenere clauum Reipub. cum dignitate, magnaq; cum laude imperium multos in populos habere. Quibus rebus deuictis,quàm sapienter hic vir sanctissimus, quàm mirabiliter omnium voluntati satisfecit? quàm magno animo, quàm elato cunctis difficultatibus occurrit? Vniuersum pænè terrarum orbem singulari sapientia cõprehendere,infinitas non dicam vrbes, sed nationes consilio gubernare, tot hominum animos tam varios, tam inter se dissentientes,vt idem velint,vt idem sentiant, atq; vnius hominis voluntatem intueantur, diuina lege copulare, vt ab Rege Philippo factum est, adeò magnum est, vt nũquam ante hoc tempus, neque literis vllis, neque vllo sermone sit auditum. Quid ego vobis hoc nomine Neapolitani regni pondus explicem dicendo? quid Sicilię grauissimam curam? quid Mediolani imperij molestiam? quid Belgarum exitus varios, qui tot iam annos sapientissimi Regis imperium detrectant? quid Lusitanos,quid ceteros Hispanos,qui per amplas occupationes obeuntem singulis diebus grauiter exercent? Orbem pænè terrarum vnius dicto obtemperantem explicare, ita arduum est,ita inusitatum,vt omnium cogitationes planè vincat. Et certè iis finibus Romani veteres ingens imperium, & amplum terminarunt; quos profectò, si eos, quibus nunc vtimur, spectarent, suæ iam paruitatis pœniteret. Præ magnitudine rerum, atque opum, quibus Roma omnium victrix quondam se se extulit, vix paulo ante veterum monimẽtis fides habebatur; nunc verò extremis orbis terminis victricibus Hispanorum armis superatis,omnes planè regiones auro abundãtes Solis radiis subiectas nostro iam imperio subiecimus;& vt diuina Saluatoris Nostri monita capesſãt,labore, & industria pręstitimus. Contra salutem pænè admirabili quadam virtute nitebantur, terroribus vndique mortis, & minis cõmitati, qui terras ne auditu quidem vmquam cognitas primò quæritabant; sed tamen immenso distantes inter se spatio regiones magnus Oceanus proscindẽs vim suam ad extremum eorum dimisit voluntati, qui cœlesti quadam ratione potius totum orbem peragrando,quàm humano cõsilio, lustratis regionibus subternauigati orbis,æmulari Solis cursum in terris videbantur. Enumerent alij licet villas,vrbes,oppida, quo in rerum magnificentia imperij magnitudinem ostendant; proponant portus, insulas, prouincias,& digitis significent, vt res illustris pænè in conspectum proferatur; efferant opum,ac diuitiarum copiam,vt nihil lautius, nihil splendidius possit cogitari; glorientur in magno regno, exultent in imperio; dum hæc cura ingens proferatur,regia,& gloriosa, quæ non multas villas,vrbes, oppida, non multos portus, insulas, prouincias, non

vim diuitiarum, atq; opum, non regni vnius, non vnius imperij ditionem, sed terrarum orbis pondus, & administrationem rerum cunctarum in terris incredibilem complectitur. Exultet igitur, vt libet, prisca ætas, & suis magnis in viris sibi placeat; extollat Iasonem, Vlyssem admiretur, Herculem tamquam virum diuina preditum virtute veneretur; quæ si Vespuccium, Columbũ, Megalanem intueatur, sui ipsius erubescet in suorum laudibus omnino, & suam planè gloriam pro nihilo putabit. Maximorum virorum fortitudine, qui præditi virtute incredibili fuerunt, comprehendit Regis Philippi imperium totum ferè terrarũ orbem; per omnes oras, quæ nobis antea rumore nullo, nullis nuntiis notæ erant, auctoritate sui nominis peruasit; quò Sol adire tantum putabatur, victricia arma peragrarunt; nullus labor, nulla difficultas, nullum iter insolitum, non ipsa penè desperatio remorata est, quò minus omnes terrarum fines Regis Philippi auspiciis Hispanicæ classes penetrarent. Auspicia verò huius gloriosissimi viri ita certa, ita sancta, ita diuina cunctis in locis extiterunt, vt deesse exitus felix nequaquam posse videretur; ita bella iustis de causis suscepta, vt iam initio esset penè victoria in manibus; ita vnusquisq; nauandæ rei cupidus, vt suæ salutis oblitus huius vnius spectaret voluntatem; ita rerum cunctarum administratio probata, vt fortunata sibi gens, & beata videretur, quę se tam sancti Regis, tam sapientis imperio traderet regendam. Neque id huic cõtigit sine causa, qui eo pacto vitã instituerat, vt diuinæ legi dies, noctesq; inhęrens omnium mortalium vtilitatem cõprehenderet. Regum aliorum proprium esse solet, parere in bello vtilitati, in pace suis commodis; hic verò pietatis in Deum rationem omni tempore maximam habuit; alij suum commodum, hic aliorum con cupiuit; alij sibi plurimum, nihil ceteris tribuere; hic verò sibi parùm, cuncta aliis prolixè deferre consueuit; atq; hoc nomine suum consiliũ ad tempus numquam, verùm ad omnium salutem mira quadam propensione animi accommodauit. Hominibus barbaris igitur nimia regnandi cupiditas tribuatur, qui & impetu mouentur, & sui emolumenti causa ducũtur, multumq; se adeptos esse arbitrantur, si per vim nulla virtutis ratione habita in multos populos tenere imperium contigerit. Nostris verò, qui & diuinis monitis se regunt, & populorum vtilitates animi sui salute metiũtur, tam magnum exitium Deus Opt. Max. prohibeat; cùm cœlesti numine adiuti id curent, vt onus Reipub. egregiè sustineant, & cunctis rebus suarum vrbium florentibus veræ omnino gloriæ, & diuinæ voluntati satisfaciant. Minimè ille sibi, sed aliis vigilauit, suasq; negligens aliorum quæsiuit vtilitates; neque vt opes colligeret, sed vt vitam beatam suis populis præstaret, perpetuò

cogi-

cogitauit. Minimè igitur hoc tempore mirum est, eum lacrimis omnium,& mœrore desiderari,qui cogitationes suas, vitam,studium, industriam in omnium salute collocauit. Etenim qui immanitati hostiũ resisteret,qui furori obuiam iret, qui nostris malis exultantem barbariem reprimeret, qui propositis periculis Rempub. forti animo defenderet,nemo erat ferè, nisi hic vnus præcipuè extitisset,qui labantes bonorũ animos sustineret,qui ad spem de victoria desperantes reuocaret. Quàm se insolenter, quàm superbè, quàm atrociter iactare hostes sæuissimi cõsueuerant,quàm fœlicenter in nostras oras immittere, quàm sibi omnia, quæ nostra sunt,ad libidinem, ad direptionem destinare? Ad nomen immanium latronum maritimæ regiones tremere, & aduentũ horrere consueuerant; vt non tantum calamitas ipsa,sed timor, & suspicio calamitatis, furente barbarie,obesset. Clausa erant omnia maria, squalebant omnes portus, iacebant mercatorum consilia, qui multis rebus contrahendis suarum vrbium difficultates subleuabant. Instabat hostilis furor, vrgebat, singulis diebus nostris malis, & pernicie conualescebat; vt nisi hæc regia prouidentia, & singularis extitisset,ne respirare quidem posse quisquam ex nostris ausus esset. Catenæ,& verbera,& carcer, & cruciatus quotidie animis obuersabantur; quibus eos,qui maritima loca incolebant, persæpè afficere, & multos, quos abripuerant in seruitutem,vexare consueuerant. Exortus est vir hic salutaris, ad quem, tamquam in arcem,qua tuti esse possent, boni omnes confugerent, suamq; vitam, atq; opes ab immanitate hostium defenderent. Iustitia se profectò vel longinquis in locis ad famam Regis sapientissimi exhilarauit; facta est pulchrior modestia, viguit mirabiliter sanctitas,quæ de vitiis,& sceleribus exultans,plaudente probitate, triumphauit. Sed eædem nunc tam repentina morte se excruciant;&,vt dolor, qui vix est consolabilis, leniatur, magno studio requirunt. Quid ego faciles aditus vobis dicam, quid humanitatem, quid patientiã,quid liberalitatem? Nequaquàm patitur summarũ rerum,& virtutum copia,quæ perlonga est,vt breuis esse vllo modo possim; cùm vir hic summus nullo labore deterritus, nulla asperitate retardatus tam diu se in cursu laudis,& gloriæ exercuit,quàm diu illi vitæ cursus est tributus. Fuit ratio administrandi imperij tam grauis, tam perennis industria, occupatio tam laboriosa, vt credibile videatur, permagna quædam,atq; ingentem gloriam spectasse eum,qui ne punctum quidem temporis à sollicitudine liberum, atque à curis vacuum habuerit. Sed multò aliter ab eo factum est; qui cùm trophæa vnius Saluatoris numini dicaret,& triumphos, honoris monimenta, & laudis insignia in eorum animis,qui essent memores,& grati,condidit,&

collocauit; vt, quantum laudis diuturnitas temporis in posterum imminuet, tantum tot ornamentis decoris repudiatis paulo post afferat gloriæ; cùm ea magnitudine animi prræditus fuerit, vt ea vicerit, à quibus ceterorum animi vincuntur. Non dicam de Hispanis, quos ipse tot annos tam magna æquitate semper rexit; non commemorabo Italos, qui huic vni Regi concordiam, salutem referunt acceptam; silebitur de Belgis, qui ne à Deo deficerent, nó passus est vmquam Rex pius, & fœlix, vt ab auctoritate Pontificis Maximi rebellarent; orbis autem alterius nationes ad vestram memoriam reuocate, & quæ vis dicendi, quæ ingenij magnitudo, quæ verborum copia tam graui in negotio, tam ampla in facultate præcipuè quæratur, vestris iudicij ponderibus expendite. Non ille proferendi imperij, sed dandæ salutis cupidus victricibus armis, Solis radiis ducibus, vltimos terrarum fines peragrauit; vt Sol ipse iustitiæ, Dei filius, cunctis cognitus mortalibus ad veram salutem omnium animos accenderet. Quo in negotio non maria, non flumina, non montes, non terrarum fines vltimi semper cedentes retrò huius viri summi animum à suo sapientissimo consilio remóuerunt; vt subsedisse montes, exaruisse flumina, maria, tamquam fręno, deposita immanitate, nostris classibus repressa, ipsiq; alterius orbis fines, vt Regis Philippi auspiciis obsecundarent, singulari quadam cum lętitia nostris cum finibus coniuncti esse viderentur. O te felįcem, Carole Quincte, qui cùm plurimùm moriens prouidisti, tum illud præcipuè, cùm filio tuo orbem terrarum regẽdum relinqueres, tuo iudicio assecutus es, ne tua in te prudentia desideraretur, quæ nunc debet à nobis tamen iustis de causis desiderari. Gratulemur igitur nobis, qui tam prudentibus Regibus, tam sapientibus tot annos vsi sumus; summi Dei iure optimo in nos benignitatem agnoscamus, qui tantum boni hoc præsertim tẽpore nostra causa effudit, quãtum numquam vllis votis sumus ausi optare; cùm per totum orbem terrarum nostræ pietatis vires egisse radices, & cunctis in locis summa cum dignitate florere videamus. Vehementer optasse dicitur Magnus Alexander, cùm fines Indiæ tantum attigisset, vt nemini postea contingeret eos terminos superare, quò ipse bellando peruenisset; sed frustra exoptauit nimia gloriæ cupiditate; cùm hominum consilia diuina ope subleuata cũctas res humanas suum sibi ad arbitrium subiiciant. Etenim eò cœlestibus auspiciis, ac salutaribus Rex prudentissimus processit, vt regni sui terminos non terræ regionibus, sed cœli spatiis prę finierit; non humanis viribus, sed diuino pęnè consilio, cùm sit vlterius pręcisus aditus, terminarit. Sed tamen quàm multi fuerint, cunctis exploratum est, qui in imperio tam amplo, in regno tam immenso

regiam

regiam gubernationem, dum viueret, ad suum votum exoptarint, qui res ad suum emolumentum concupierint, qui ante rerum exitum momorderint, qui desiderarint diligentiā, qui seueritatem improbarint, qui reprehenderint iudicium, qui voluntatem accusarint? cùm aliis ablatum aliquid, aliis additum, aliis pœna, aliis pręmium persolutum varias voces à diuersis propter vnum sæpenumero eliciat; vt hic idem nunc vnus summi iudicij, admirabilis sapientię necessariò iudicandus sit, quem vna vox omniū, atq; orbis terræ cōsensus tam magnis laudibus post mortem efferendum esse iudicat. Huic enim vni vnusquisq; rei familiaris facultatem, fortunas, opes; huic vni parentes, liberos, affines; huic vni patriam, seruatas leges, vitam, mores; huic vni aras, focos, muros vrbis, ac tecta; huic vni pietatem, sacra omnia, templa refert mira quadam propensione animi accepta; atq; in Regem tam beneficum, tam salutarem, tam valde de cunctis mortalibus benè meritum mirificam quandam in perpetuum memoriam, & gratam pollicetur. Hic vir vsquequaq; prudentissimus tamquam altaribus semper admotus, quod susceperat, constanter, & regiè impleuit; Deiq; numen versari sibi ante oculos arbitratus est, quoties Rempub. terrarum omnium obire, & tractare consueuit. Homines præterea, qui nauare suam operam religioni, & publicis vtilitatibus inseruire soliti sunt, quo studio fouit, qua voluntate complexus est? Reliqui sibi nihil fecit in amore ad eos augendos, vt laudibus efferret, vt honoris insignibus honestaret, totumq; se honorificentissimè profunderet. Quamobrem qua voluntate meminerat Carolum Quinctum in Cosmum, Magnum Etruriæ Ducem fuisse, eādem ipse in eum omni tempore præstitit. Nota erant officia, quibus Cosmus contra communes hostes Christianam Rempub. iuuisset; merita illustria non exciderāt; quibus, quoties fuit opus, Regis voluntati præsto fuisset; vt cùm à viris principibus, qui iungere socia arma consueuerant, mirabiliter diligeretur, à Cosimo tamen præcipuo quodam modo cultus fuerit. In causa pietatis, & religionis, quoties quis appellaret, atq; eius literas afferret, ad nomen Pontificis Maximi, verbis honorificentissimis capitis honorem semper exhibere consueuit. Quod autem viris nostratibus pręsentibus, atque videntibus actum est, nunc libet enarrare; accidit enim, cùm esset in Hispania Franciscus Medices, qui postea Magnus Dux creatus est, vt rogaret Rex, ecquid esset Florentiæ, quod scitu dignum esset; tum dixit quidam, qui venerat vnà cum cohorte, seruari nostra in hac vrbe sacrum Christi Euangelium, Diui Ioannis Euangelistæ manu exaratum, summaq; religione custodiri; quod cùm Rex audisset, vt semel, atq; iterum repeteret, petiuit; deinde & capi-

tis

tis honore, & voce ad pietatem conformata, humiliter rem sanctissimam absens adorauit? O animum egregium? ò pietatem omnium vocibus prędicandam, & de rerum sacrarum, & de dignitate Ecclesiæ semper cogitantem? Sed quò sunt ampliora illa bona, quibus Rex amplissimus omnes mortales mirabiliter affecit; eò vis lacrimarum maior, & luctus amplior exoritur. Affligant se vrbes, quæ per tot annos in summa æquitate quieuerunt; excruciant prudentes viri suum animum, qui repente custode admirabili orbati salutem suam vident in dubium venire; squalent nationes, insulæ, atq; portus optimi Regis desiderio, qui florere magnis mercatorum negotiis consueuerant; iam verò flumina, maria, & cœlum ipsum mœrorem suum quodammodo testari, & nimia rerum impendentium perturbatione videntur inhorrescere. Longo ille labore, atq; incredibili vigilantia, vt diligeretur ab omnibus, assecutus est; vt lęderet neminem, vt iuuaret omnes, vt malis orientibus occurreret, vt bellorum incendia restingueret; vt, quæ ratione regere non poterat, pio semper Marte, & iusto potissimùm sanaret. Quid enim vobis bellum, quod ad Samarobrinam constitit, multis verbis enarrem? quid Melitam immanium hostium classibus oppugnatam, atq; huius optimi Regis consilio seruatam dicam? quid bellum Naupactęę victoriæ, quid pugnam ipsam summa contentione, incredibili animorum ardore pugnatam referam? quid Belgas toties victos, toties cęsos, quid virtutem Hispanorum summis laudibus celebratam, quid exercitum Italorum eisdem in locis per tot annos iustissimam causam tuetem, & perpetuò victorem proferam? Iam verò quę extremis in orbis partibus, quæ in terris à nostris finibus infinitis aquarum spatiis disiunctis, quę in populis aduersa nobis vestigia vrgentibus gesta sunt, qua ratione sit bellatum, quibus viribus tam multa sint firmata regna, qua sapientia tanti Regis à barbaris nationibus sit imperium acceptum, nolite ab hac mea dicendi tenuitate expectare; sit vobis satis, quod à certis hominibus audistis, quod clarissimis iam monimentis testatum est; cùm sit iam omnibus exploratum, quod nulla verborum copia, vel summo ingenij flumine, ad res tantas posset aspirare. Redite in memoriam, nobilissimi viri, qui terror bonorum animos occuparat, dum timor Melitensis oppugnationis, & belli Cyprij periculum immineret; recordamini, quàm suspenso animo homines graues se affligarent; quàm esset Italia excipiendis suspiciosis vocibus sollicita, nuntios, & rumores leuissimos ad suam sibi perniciē Christiana Respub. proponere solita erat; quam cùm hic Rex optimus intimis animi sensibus complexus esset, vt sartam, & tectam tueretur, ne aliqua ex parte Turcarum sęuitia ad eius salutem infringen-

dam aspiraret, ne immanitas magnis exercitibus opprimeret, quibus se ille sensibus excitauit, quo arsit dolore, qua pietate, qua cunctis tam vehementer profuit, omnium cogitationes se ipso factus maior tunc vicit? Christiani nominis decus agebatur; causa publica veniebat in dubium; pręsens periculum ita commouebat, vt vir mirus animi probitate non posset sibi satisfacere, nisi omnium expectationi salutaria à se expectantium cumulatè satisfaceret. Vt ratio diuini cultus vbique seruaretur, vt fieret amplior, vt omnium mentibus inhęreret, quàm grauiter, quàm religiosè, quàm sanctè omni tempore cogitauit? quàm ille vias omnes scrutatus est, vt hanc rem vnam quàm maxima diligentia conficeret? Quid igitur augustissimi templi, Diui Laurentij Escurialis amplitudinem proferam? quid ædificij præstantiam, quid rerum preciosarum artificium enarrem? Etenim eo splendore ab eo confectum est, vt planè cum Philippi omniũ potentissimi Regis animo consentiat; ita industriè ornatum, vt id vnum maximè toto terrarum orbe visendum videatur; ita magnificè elaboratum, vt nullum magis appositè rebus sacris excipiendis fabricatum existimetur; vt, si cetera deessent, quæ pręsto sunt copiosè, hac vna re tantùm vnusquisque, & animi magnitudinem, & pietatem sanctissimi Regis posset sibi, suisq; oculis subiicere. Contendite à Deo cũctis animi viribus, honestissimi viri, vt Reges vobis eiusmodi eueniant, atque ij præcipuè rerum potiantur, qui ab humanitate, à consilio, à castitate, à religione Regis Philippi non abhorreant. Vixit ille animo tam forti, tam elato, tam pio, vt non sine causa in eius salute omnium salus niteretur; quem sui vt vitæ defensorem, alieni vt columen fortunarum venerantur; quem longinqui, quem alienigenæ desiderant; quem omnes penè gentes, atque nationes lacrimis, & luctu prosequuntur. Durum est enim vitæ præsidium amittere; durius, inconsolabili se dolore affligtare; molestum, maximis commodis orbari; molestius, salutis columen requirere; acerbum, virtutibus summis spoliari; acerbius, sine vlla spe magna cum pernicie carere; miserum, timore rerum imminentium non conquiescere; miserius, atrocitate malorum, quæ iam vrgent, quotidie torqueri; periculosum, sine salutaribus præsidiis dimicare; periculosius, cum hoste omnium teterrimo contendere; terribile, de suis fortunis in dubium venire; terribilius, in summo salutis, & dignitatis discrimine versari; horribile, strepitu armorum excitari; horribilius, hostem penè in possessionem orbis terrarum inuadentem non posse suo sanguine depellere. O frustra à nobis suscepta vota, quibus paulo post, viris principibus in cau-

sam

ſam incumbentibus, recuperatum iri Bizantiũ iudicauimus? ô ſpem fallacem, quę nos tam diu inani cogitatione nimis credulos lactaſti? huc tandem tua promiſſa reciderunt, vt, quos negligere in bello conſueuimus, eoſdem nũc in pace timeamus? quos ſuis omnino vrbibus exuere, eoſdem, ne nobis noſtras eripiant, cogamur perhorreſcere? Quò timidi homines, ſed tamen probi, & officioſi nunc confugient? cuius poterunt exploratè virtutem intueri? cui fortunas ſuas, & ſe credent? cuius fidem, probitatis cuſtode, atque innocentiæ vindice ſublato, implorabunt? Quoties aras, optimi viri, adiiſtis? quoties Deum ſupplicibus precibus rogaſtis (quoniam in vnius vita Reſpub. totius pænè orbis nitebatur) vt hic vir optimus diu viueret, cunctorumq; mortalium commodis, ſi fieri poſſet, perpetuò adeſſet? Non eſt ceſſandum, mihi credite, in tam magna tot malorum impendentium perturbatione; incitanda eſt induſtria, quæ acerrimis vigiliis huius optimi Regis tam multos annos conquieuit; vis omnis virtutum proferenda, qua Turcarum furor reprimatur, ne tam firmo prę ſidio deſtituti cunctis periculis, atque exitiis pateamus. Nonne vobis in mentem venit, quantopere Italiæ tranquillitas præter cetera cordi illi fuerit? & vt à belli ſuſpicione abeſſet, quàm vehementer cu rauerit? Cui negotio, vt ſcitis, nobiliſſimi viri, Franciſcus Medices, Magnus Dux, ita ſemper præſtò fuit, vt ſummis Pontificibus, aliiſq; viris principibus Italiæ adiuuantibus, conſilio, atque ope rem communem fortiter adiuuerit. Quamobrem factum eſt, vt Rex eius animum, qui eòdem, quò pater Coſmus, ſumma fide, ſpectauit ſemper, eximium habuerit. Ferdinandi verò propenſio cùm Regi ipſi nota, tum cunctis mirabiliter illuſtris, iiſdem officiis, quibus frater, & pater proſecuti ſunt, regiam maieſtatem vehementer coluit. Demus operam nunc quàm poſſumus maximè, vt, veſtigiis ſummi viri perſequendis, ne planè à nobis hoc luctuoſo tempore, & miſero defeciſſe videamur. Ad id veſtra ſtudia, viri optimi, adducite, quibus virtutem tam ſalutaris Regis proſequamini; ad id animorum veſtrorum vires ferte, ſi memores, & grati in laudibus hominis de vobis optimè meriti vultis reperiri; ad id omnes cogitationes denique colligite, ne vllæ gentes veſtrum officium requirant in eo potiſſimum colendo, quem orbis terrarum magnis honoribus ſemper colendum iudicauit. Id ipſum verò, quod dico, mandate memoriæ, prudentiſſimi viri, vt quod nulla vmquam ætate, nullis vmquam ſeculis con tingit, in hoc ſummo Rege eueniſſe videatis; ponite ante oculos, vt vnus vno, eodemq; tempore diuerſis, longinquis locis & pacis leges, & belli rationem cura admirabili tradere debeat; Crebrò enim


in regno omnium ampliſſimo de omnium ſalute cogitantem caſus **horribilis** affligit; cum alibi vaſtitatem, alibi defectionem extitiſſe **nunciatur**; pereat imperium neceſſe eſt, niſi ſtatim præſenti conſilio **ſubueneris**; alibi coniuratio, alibi perfidia excitatur; actum eſt de **ſumma rerum**, niſi periculis imminentibus occurreris; nationes bellicoſas **ſumpſiſſe** arma, & bellum gerere affertur; non mediocris ti**mor eſt**, ne ad nihilum recidant omnia, ſi paululum ceſſaueris; pun**git animum**, ſi proficiſceris in rem præſentem, non minus torquet, **ſi remanſeris**; ſi conſilio committis omnia, improbant, qui ſubitò **remedium** expectant; ſi per duces rem gubernas, vellicant, qui re**rum exitum** attendunt; ſi vim vi, vt ſæpè fit, fortiſſimè propulſas, **mordent**, qui ſeueritati aduerſantur; Quòd ſi id eſt multis idem onus **ſuſtinentibus** laborioſum; multò vni pro cunctis vigilanti laborio**ſius**; ſi arduum per exiguum imperium tractanti, quantò multorum **regnorum** curam explicanti magis arduum? vt non vnius viri vir**tus**, ſed vis planè diuina in hoc ſapientiſſimo Rege viguiſſe ſit neceſſe; quæ tot res tam varias, tam amplas, tam arduas ſine errore, ſine cuiuſquam pænè querela per tot annos rexerit, & fœliciter cum omnium approbatione ad exitum perduxerit. Defuit tantum ad ſummam fœlicitatem in ſummo imperio, quòd eos hoſtes, quos ſingulari odio pro gloria Chriſtiani nominis proſequebatur, bello potius dimiſit laceſſitos, quàm oppreſſos, & debilitatos magis, quàm deletos; ſed potuit ſe eo nomine conſolari, quòd ea bellandi ratio fuit, vita ſuppeditante, inſtituta, qua vt ad Naupactum, vt ad Melitam, vt ad Britanniam ſuis auſpiciis factum eſt, & vim egregiè propulſare, & de teterrimis hoſtibus delendis planè poſſimus cogitare. Hoc nomine magnis claſſibus vſus eſt, vt piratas omnium hoſtes toto mari magnis ſumptibus fugaret; aluit præterea multos exercitus, vt hæreticæ prauitatis initia opprimeret; &, ne malitia pietatem inquinaret, vt diras cogitationes ab Eccleſia detergeret. Id opus pacis, & quietis ſummis artificiis quæſitum poſteaquam vir mirus, atque acer, exacta ætate, incredibili vigilantia expleuit, & cum Rege Gallorum pacem agitari, quam ipſe pepererat, læto animo perſpexit, orbis terrarum lacrimis comitatus minimè grauatè diem ille ſuum obiuit, qui dies cunctos mortales certis temporibus expectat. Id vt perficeret incredibili quodam modo obduruit ad patientiam, non ſolum hoc tempore, ſed tota vita alias, cùm priuatim aliquid ageret; ſatis id patet omnium ore, ſatis ipſe omnibus indicio fuit; qui cùm in ſecundis, tum in rebus aduerſis, vultum eundem ſemper præſtitit. Nemo eum iratum, aut commotum animo, aut perturbatum vi-

dit vmquam; quin etiam cùm mortis minæ grauissimè imminerent, vt sustinuit, supreme Deus, &c, quæ sunt aliis horribiles, vt contemsit? Loculum ad se præterea, quo post mortem condendus erat, afferri iussit, vt videri, & versari sibi ante oculos posset; secumq; agi de sua morte, de suo sepulchro (cùm ipse ad id eos, qui adessent, sua sponte inuitaret) animo tam quieto, tam tranquillo passus est, vt vereri videretur, ne qua res eum frangaret cursum, quem ipse rebus cœlestibus inhians semper tenuisset. Quàm ille pio animo (cùm morbus hoc extremo vitæ tempore vim doloris augeret) dum Nūtius Apostolicus vnà cum Toletano Archiepiscopo adesset, filium suum monuit, vt munus sui imperij patienter obiret, vt auctoritatem Summi Pontificis coleret, vt iustitiæ rectis ponderibus ius diceret, vt homines regendis populis lectissimos deligeret, &, ne quis esset in suo imperio, qui à sanctissimis Ecclesiæ institutis dissentiret, summa vigilantia prouideret? Præsentissimum Dei Opt. Max. numen ad extremum vsque spiritum expertus est: Etenim cùm Respub. orbis terræ in eius consilio niteretur, non minus, dum mors instaret, mentis viribus ille viguit, quàm cùm integra valetudine vteretur, nec minus consuluit sapienter, quàm cùm suspicio inualetudinis abesset; nunc enim adhortando, nunc monendo, ita filium ad sanctitaté, ad sapientiam erudiit, ita fortibus vocibus religionem commendauit, vt Nostri Saluatoris maiestate nihil ei esse antiquius testaretur. Peracto igitur extremo vitæ actu, cùm iam sentiret acerrimos mortis dolores aduentare, suarum ille cogitationum summam fecit; & Nostri Saluatoris numini sui animi vires commendauit. Quàm ille sæpe, quàm valde non de aliorum salute minus, quàm de sua sollicitus ideo sibi discessum è vita duriorem contingere testatus est, quòd minus, quàm vellet, quibus consultum volebat, consuluisset, minusq; etiam pro animi sui voluntate Christianam Rempub. florentem reliquisset? Interpellabant animi constantiam suorum lacrimæ, sed in suis cogitationibus defixus suum propositum vergebat; monebantur aspectu rerum humanarum; sed ipse erecto animo diuinas cogitabat; quantum illi laboris ab hostibus sæuissimis instaret, hic verò, vt communis omnium hostis insidias eluderet, non desistebat meditari. Quæ deinde sui ipsius cura, qui ardor, quod studium in illo atroci, atque horribili mortis, & vitæ prælio? quanta cupiditas salutis, quanta huius seculi neglectio? Hoc extremo tempore minimè ille se deseruit, sed vt summi duces acerrimis in dimicationibus facere solent, qui vt honestè decumbant, morti etiam fortiter se offerunt; sic ille Nostri Saluatoris dux fortissimus vt sanctè, vt piè

extre-


extremum vitæ diem terminaret, quicquid laboris, cruciatus, doloris proponebatur, per ſe ſubire magno animo, & perpeti non dubitauit. Quàm ille ſæpè decus Reipub. quàm crebris vocibus Ecclesiæ dignitatem ſanctiſſimè vſurpauit? quàm demiſſe, quàm humiliter filij Dei matrem inuocans Noſtri Saluatoris numini ſupplicauit? quoties languentes artus ad officium pietatis, quoties acerrimis doloribus vrgentibus ad Dei laudes mentem reuocauit? Sed mors cùm aduentaret, & morientibus vocibus corpus mori iam inciperet, vt cunctis Eccleſiæ Sacramentis animum ſuum præmuniret, grauiter, & ſumma voluntate poſtulauit. Id verò poſtea quam adeptus eſt, premente cruciatu, non inuitus ille, aut timidè iter eſt ingreſſus, quod mortales omnes horrent; victiſq; vitiis, & ſceleribus, abſumpto vitæ curſu, pugnaq; fortiter contentione perpetua pugnata, vt noſtra eſt ſpes, ad illud præmium profectus eſt, quod Deus piè, conſtanter, & ſanctè dimicantibus liberalitate admirabili promiſit. Sed, quod cunctis iam gentibus fœlix, & fauſtum eſt, alter nobis Philippus incredibili omnium approbatione redditus eſt. Etenim eodem nomine, quo vocatus eſt pater, filium appellari, non ſine cauſa, nobiliſſimi viri, vt opinor, factum eſt. Vim eandem virtutis cum ipſo nomine Philippus filius poſthac pollicetur, quam Philippus pater mirabiliter præſtitit. Fortunate adoleſcens, qui Dei Opt. Max. numine adiutus in poſſeſſionem imperij omnium ampliſſimi pedem poſuiſti, quæ nunc tuæ ſint partes, & monitis patris, & tui ingenij magnitudine didiciſti; quid cupiat bonorum conſenſus, quid orbis terrarum à te flagitet, tam ærumnoſis temporibus, intueris. Nemo dubitat, quin paternis veſtigiis inſiſtens, & præceptis ſanctiſſimis obtemperans eam rationem præcipuè adhibeas, quæ tuo imperio ſalutaris omnium ſalutem glorioſè comprehendat. Minimè tua laus Hiſpaniæ terminis, ſed (cùm virtutem tuam, quæ regendis tot regnis explicanda eſt, præcipuè conſidero) omnium gentium regionibus continetur. Vnuſquiſque benè ſecum actum iri arbitratur, ſi tibi, vt optamus, ſecundæ res contigerint; ſtrepituq; armorum, quibus orbis terrarũ quotidie concutitur, vt in tuo parente factum eſt, ſalutem ſuam tua ſalute metietur. Auſpiciis ſalutaribus viam ingredere, quam tibi auus Carolus, & Philippus pater ad verum decus tritam reliquerunt; vt, dum ingenti gloria te cumulas, ampliſſimis rebus obeundis, ad ſalutem orbis terrarum toto pectore incumbas.

DIXI.









FLORENTIAE,

Apud Michaelemangelum Sermartellium. B.F.

CIϽ IϽ XCVIIII.